

XX.

## Confesiunea credinței unitarilor după un document din anul 1752.

*Confessio Fidei Unitariorum in Transilvania, quam Michael Szent Abráhami Superintendens Anno 1752 suis Assectis hungariis hisce Litteris Encyclicis proposituit.*

Honorabiles Domini, Dilecti in Xto Fratres!

Gravi cum Animi dolore intelligimus multiplicem Clarissimorum Fratrum Nostrorum Unitariorum in rebus Fidei scisionem: credunt nempe, quod volunt, atque ideo multi Nomine sunt tantum Unitarii. Cujus mali Causa non est alia, quam diverse, sibique oppositae multorum Circa Articulos Fidei Quaestiones. Placuit itaque generalem edere, ac omnibus proponere Fidei professionem, cui omnes Unitarii ad extremum usque spiritum noverint sese Confirmare. Quae quidem Sanctae Religionis nostrae Professio sequitur in hunc modum :

1-mo. Credo in unum Deum omnipotentem, sed non ab aeterno Patrem, Creatorem Coeli, et terrae, secundum visibilem, sive Antiquam Creationem: et unum tam in esentia, quam Persona: cui Similis nec in Coelo Filius, aut spiritus Sanctus, nec in terra est quisquam, solusque Divina dignus adoratione.

2-do. Credo in Jesum Christum Unigenitum, sed non Naturalem DEI Filium, neque natura DEUm, sed tantum DEUm, Qui ex essentia Patris nunquam genitus, sed Conceptus est de Spiritu Sancto, idest:

ex virtute, sive voluntate DEI et natus ex Maria tempore Conceptionis pura Virgine, et Creatus a DEO Patre, qui nihil commune habet cum esentia, Persona, vel natura DEI Patris, sed a peccato Nos liberavit, Nobis hominibus similis, per quem Pater creavit omnia in nova Creatione, sive regeneratione, Qui propter Nostram salutem natus, passus, occisus, et sepultus est, et descendit ad inferos vere, non ad Limbum, vel Purgatorium, utrumque enim Comentum est, sed ad tumbam, sive sepulchrum. Et resurexit, sed non propria virtute, quoniam ne quidem Nomen JESU ex proprio merito accepit, sed ex gratia DEI. Sedet ad dextram Patris, inde venturus est ad judicandum, et Regni Ejus Finis erit, quum restituat omnia Patri, et ipse etiam Xtus subjicietur DEO, ut DEUS Pater sit omnia in omnibus, Dignus tamen est adoratione, quoniam qui non honorat filium, non honorat Patrem.

3-tio. Credo Spiritum Sanctum, sed non in Spiritum sanctum, qui nec essentiam, nec Personam habet, sed est virtus sive dextera DEI, qui nunquam est adoratus, nec unquam adoratur, per quem locutus est DEUS per Prophetas, et hodie per eum diriguntur fideles ad omnem veritatem.

4-to. Credo Sanctam Catholicam Apostolicam, sed non Romanam Ecclesiam. Confiteor aeternam eorum salutem, qui in quatuor receptis religionibus bene operantur, vitamque agunt irreprehensibilem.

5-to. Credo vivorum Sanctorum Communionem nego mortuorum, quos aliquid de nobis scire, a fortiori nos ab ipsis apud DEUM adjuvari, penitus pernego.

6-to. Credo duo Sacra menta, Baptismum videlicet, et Coenam Domini, neutrum tamen credo ad salutem plane sufficere.

7-o. Nego peccatum originale, nego in Coena Domini realem Corporis, et sanquinis Christi praesentiam, pernego post Christum verum sacerdotium, pernego confessionem peccatorum Coram sacerdote fieri solitam.

8-o. Pernego datam esse Sacerdotibus a DEO ad remitenda peccata ullam potestatem. Rejicio Rosarium, et Xti DEI Cultum, rejicio Mariae, et aliorum Sanctorum invocationem, respuo Missae Sacrificium una cum extrema unctione, et reliquis Sacramentis.

9-o. Confiteor ex adverso Pastores nostros legitimam habere potestatem, Conjuges, quotiescumque necessitas tulerit separandi, dandique ad novas Nuptias utriusque parti facultatem, et in his nullum esse contra DEUM peccatum.

10-o. Credo et resurrectionem Mortuorum, et sanctarum Animarum nostram salutem, non tamen ex Fidei, neque ex bonorum Operum Nostrorum, aut ex JESu Xti meritis, sed ex sola, ac pura gratia DEI.

Haec igitur est vera sanctae Unitiae Religionis Nostrae Confessio, quam aequam erat Cum vestris Dominationibus Communicare. Vestrae proinde Dominationes Crebro in unum Conveniant, eamque Communiter tradant, discant, ac in ea Constanter per maneant.